



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

XII. De regularibus & eorum statu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus in prædicationibus & confessionibus subditos suos studiosius moneant & inducant, quod memores salutis animarum decimas ipsas omnium terræ nascentium sine diminutione integre; personales vero secundum laudabilem consuetudinem persoluant, si pœnas damnationis æternæ voluerint evitare.

XII.

Quia religiosos, qui per religionem sponte assumptam Deo dicati sunt, purioris decet honestatis & vitæ nitore clarere, vt Deo possint salubrius famulari. Quapropter præsentis constitutione irrefragabiliter duximus statuendum, vt vniuersi abbates, præpositi, priores, decani, ceterique monasteriorum professi nostræ diocesis, monastica & regulari vigeant disciplina, regulamque eis a sanctis patribus institutam, secundum quod sacrorum statuta Canonum edocent, præsertim tria ordinis substantialia, videlicet abdicationem proprietatis, obedientiam & continentiam, ceremonialiaque religionis secundum sanctam regulam & diffinitiones sanctorum patrum diligentius studeant in omnibus obseruare. Si quis autem prædictorum suæ salutis immemor promissorum extiterit violator seu neglector, secundum eandem regulam & diffinitiones patrum pœna condigna puniatur.

Quoniam nedum in viris, sed etiam in mulieribus Deo deuotis vigere debet religio sancta & vita monastica secundum regulam suæ professionis & patrum sanctorum diffinitiones, imo tanto cautius

ANNO
CHRISTI
1440.

tenentur prælati & alii eis præfecti vigilare, quanto fragiliores noscuntur: statuimus, volumus & mandamus, quod omnes prælati quorumcumque ordinum mendicantium & non mendicantium, & alii quicumque monachi & non monachi nostræ diocesis, quibus etiam a Deo deuotarum mulierum cura est commissa, easdem paterne, pie & solerter secundum suam regulam & patrum diffinitiones ad obseruantiam regulæ & monasticæ vitæ inducant, informet & compellant iuxta officii debitum: diligenter etiam vigilent, ne in receptione alicuius ipsarum quidquam per simoniam exigatur: negligentes vero & non reformantes, cuiuscumque religionis fuerint, maxime de ordine sancti Francisci, qui triplicem regulam siue modum sancte viuendi declarauit, districta animaduersione iudicii punire non tardabimus. Insuper constitutionem Bonifacii papæ octaui super clausura monialium editam, quæ incipit, Periculo cum effectu; executioni demandari volumus & mandamus.

Quia nonnunquam sub specie religionis surgunt sectæ, nec non conuentiones pestiferæ iuribus inimicæ: præcipimus & mandamus cunctis ecclesiarum rectoribus nostræ diocesis, quod omnes viros & mulieres infra terminos suarum parochiarum degentes, sub specie religionum non approbatarum & communium in vita accepta, in communi vita popularium discrepantes requirant, quod infra mensem a sua requisitione ipsos informet, cuius religionis sint, & suæ vitæ ac status approbationem. Quod si non fecerint, ipsos teneant in omni obe-

dientia parochiali, sic alios parochianos & nobis aut vicario nostro eosdem nihilo minus denuntiare non omittant.

ANNO
CHRISTI
1449.

XIII.

Quamuis patroni & aduocati sint in subsidium ecclesiarum admissi, sæpe tamen hoc tendit ad noxam & oppressionem, vt inde sentiant detrimentum, quod a defensione noscitur institutum: & infra constitutione præsentis sancimus & volumus, quod tam patroni quam aduocati ecclesiarum, cuiuscumque præminentia aut status fuerint, gratia permessa, & antiquis iuribus ipsis & eorum progenitoribus in institutione prima, seu cum ipsi ad aduocatus a principio per eos ad quos pertinuit, suscipiebantur, deputatis, penitus & omnino stent contenti, & pro posse suo statum, honorem & res ecclesiarum requisiti fideliter tueantur & defendant. Item si patronatus plures filios aut heredes dereliquerit, omnes illi succedant in stirpem & in locum defuncti, ac nihil plus exigant, extorqueant vel recipiant, quam ei debebatur, in cuius locum & ius successerunt. Et nihilo minus sicut defunctus ecclesiam defendere, teneantur. Si quis vero in extorsione aut receptione iuris aduocatiæ modum excesserit memoratum, aut patronatus occasione, iure suo priuetur, & nihilo minus sicut raptor & spoliator ecclesiæ puniatur.

XIV.

Quamuis res ecclesiasticæ non ad alium quam pium vsum in quem ordinatæ sunt, expendi debeant, salua sedis apostolicæ auctoritate, quidam
tamen